

CAP. XV.

AQUÆ STILLATITIE.

AQUA DESTILLATA.

AQUA destilletur vasis mundissimis, donec ejus duo circiter trientes stillaverint.

AQUA CITRI AURANTII.

R. Corticis exterioris fructus Citri Aurantii recentis libras duas.

His affundatur Aquæ tantum, ut, cum destillatione elicitæ fuerint libræ decem, supersit quantum sufficiat ad evitandum empyreuma. Post macerationem debitam, destillentur libræ decem.

Hoc modo parantur AQUÆ STILLATITIE libræ decem, ex

Corticis fructus CITRI MEDICÆ recentis libris duabus,

Corticis LAURI CASSIÆ contusi librâ unâ,
Corticis LAURI CINNAMOMI contusi librâ unâ,
MENTHÆ PIPERITÆ florentis libris tribus,
MENTHÆ PULEGII florentis libris tribus,
Fructûs MYRTI PIMENTÆ contusi librâ dimi-
diâ,
Petalorum ROSÆ CENTIFOLIÆ recentium libris
sex.

SINGULIS harum Aquarum libris adde

Alcoholis diluti unciam dimidiam.